



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Sebastiani Henrici Penzingeri, Consistorialis
Passaviensis, Decani, & Parochi in Trauttmanstorff ad
Laitam Bonus Ordo Triplicis Formatae Concionis Moralis In
Omnia Festa Sanctorum In Amplissima ...**

Penzinger, Sebastian Heinrich

Solisbaci, 1698

Februarius.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51763](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51763)



FEBRUARIUS.

IN FESTO PURIFICATIONIS, B. M. V.

CONCIO PRIMA.

Textus. Postquam impleri sunt Dies Purgationis Mariæ secundum Legem Moysi, Luc. 2. cap.

Thema. Innocens & purissima Virgo, se legi subicit ut nocens homo à peccati pœnâ purgaretur.

Exordium.



Enerabilis Beda in catenâ aureâ S. Thomæ ait: Legi ipsius Verba diligentius inspexeris, profectio peries, quod ipsa DEI Genitrix, sicut à commixtione virili, sic à Lege fuit jure immunis, non enim omnia mulier pariens, sed ea, quæ suscepto semine peperit, designatur immunda, & ritu legis docetur esse mundanda, ad distinctionem scilicet illius, quæ Virgo concepit, & peperit. Purissima Virgo Maria. Audiantur Patres. Decens erat, ut eâ puritas quæ major sub Deo nequit intelligi, virgo illa niteret, cui Deus propter unicum filium suum, quem de corde suo æqualem sibi genuit, tamquam seipsum diligebat, ita dare disponebat, ut naturaliter esset unus idemque communis Dei Patris & Virginis Filius.

Patres:

Et quam ipse Filius substantialiter facere sibi Matrem eligebat, & de qua Spiritus Sanctus volebat, & operaturus erat, ut conciperetur & nasceretur ille, de quo procedebat. Ita S. Anselmus, de *S. Anselmus.*
 Concept. B.M.V. cap. 18. Virgo in puritate ipsos Cherubinos & Seraphinos transcendit. S. Bernardus, Serm. de Laud. B.M.V. S. Bernardus
 dinus puritatem B. Virginis Mariæ simili argumento defendit. *S. Bernardus.*
 Tom. 3. Serm. 6. Art. 2. Cap. 3. Cùm Deus sit summa puritas, sequitur, quòd ille homo purior sit, quàm omnis alius, qui ad Deum *S. Bernardus.*
 altius conscendit, Deo vicinissimè se conjungit, S. Virgo Maria autem tam altè ad Deum conscendit, adeò proximè Deo amicitia juncta est, ut conjunctior esse non possit, quàm Mater Dei, ergo inter homines purissima est: si purissima est, cur ergo hodie legem purificationis subiit, cui adstricta non erat? Respondet Beda in Cate- *Vener. Beda.*
 nà: *Ut nos solveremur, eandem legem subiit.* Ut nos solveremur ab irâ Dei, ut nos solveremur à pœnis, à suppliciis, Quod divinâ Sancti Spiritus gratiâ, figuris deducam.

CONCEPTUS I.

Columbam cum ramo viridi oliuæ, cum Noë adventantem vidisset, intellexit, quòd Deus mitigatus fuisset, & reconciliatus. *Confirmatio*
Dimisit columbam ex arcâ, at illa venit ad eum ad vesperam, por- *sen*
tans ramum oliuæ virentibus foliis in ore suo: Intellexit ergo Noë, *Deductio.*
quòd cessassent aquæ super terram. Genes. 8. Columbam suam Dilectus in Canticis, Mariam Virginem nominat. *Veni columba mea:*
 Ramus oliuæ est Christus Jesus. *Flos de radice Jesse.* Hunc ramum oliuæ virentem hodiernâ die columba Virgo Maria offert Patri aeterno, cesset diluuium aquarum multarum vindictâ Dei in genus humanum, nubila iræ Divinæ depellantur, serenitas gratiarum inducatur, radii misericordiarum humano generi splendeant, & luceant. *Tu es illa fidelissima columba Noë, qua inter summum Deum, & mundum spiritali diluuiò submersum mediatrix dulcissima extitisti.* S. Bonaventura, in Speculo B. V. Cap. 9. Effectum consecutum confirmat Esdras Lib. 4. *Mulier portentum pariet, & in dulces aquas amaritudo convertetur.*

CONCEPTUS II.

De Rhinocerote scribunt Naturalistæ, dum excandescit, & irascitur, hoc actu mitigari, ut iram & ferociam deponens mansuetus virgo se ante Rhinocerotem sistit, virgo feroci Rhinoceroti obviam procedit, hac intuitâ, hâc visâ, omnem ferocitatem deponit, totus mitis, mansuetus virgini blanditur, à virgine se finit duci, virginem ut agnus sequitur. Nonne Deus in Veteri Legge contra genus humanum adeo iratus excanduit, ut non immerito de Deo Patre irato verba Textus Numerorum Cap.24. allegare liceat. *Cujus Fortitudo similis Rhinocerotis.* Iram, ferociam Domini Numinis experti sunt tempore Noë viventes homines, quos octo usque animas generali diluvio implacabiliter submersit, & delevit. Genes Cap.6. Regio Sodomitarum, quam sulphureo de cœlo igne incineravit, extinxit. Huic irato Numini, æterni patri, se hodie Virgo immaculata Maria coram stitit, ut iram placaret, Deum iratum reconciliaret, ferociter punientem, Deum misericorditer indulgentem, mitem, suavem, benignum, Patrem exhiberet. Ita Lucas. *Invenisti gratiam apud Deum. Tenui cum, inquit, Maria in Canticis: ne scilicet percuteret peccatores, nec dimitteret, sed continuâ precum instantiâ ferociam ejus retinebo.* Loquitur in personâ Mariæ Richardus à S. Laurentio. Lib.2. part. 1. de Laud. V. Perpulchra sunt verba S. Thomæ de Villâ Novâ. Sect.4. de Noë Domini. *Quid Dei Filio similis, quàm Filius unicornium, qui in re virginis captus, suæ majestatis oblitus, vinculis carnalibus oblitus, ex irato totus mitis, & suavis effectus est.*

CONCEPTUS III.

Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera commoratur, inquit Maria, Cant.1. Myrrhæ, herba est amarissima, deliquit quàm amarus olim Deus contra genus humanum fuerit: factus nunc Maria, hunc amarum dilectum, factum esse perdulcem, suavem, & mitem: Quo medio? *Inter ubera.* Virgine se interponente, virgine Mariâ, se coram sistente. Audiatur desuper Richardus à S. Laurentio. Lib.4. de Laud. B.V. *Fasciculus fuit Deus in Verbo*

Lege, quia terribilis, sed inter ubera Mariae factus est dilectus suavis, & mitis.

CONCEPTUS IV.

Leo animal calidissimum, iratissimum, ferocissimum est, Symbolum irati Dei, & severissimi Numinis, in Lege Veteri; *Leo rugiet, & quis non timebit?* Bilanx, signum est accuratae justitiae; ad peccatam, ad vindictam, in bilance & trutinâ, severissimus olim Deus, fragilitates hominum ponderabat, nunc in medio stellarum caeli, leonis & bilancis, positum est signum virginis: Cur virginis? fors, ad innuendum, ope Virginis Mariae, quae inter iratum Deum & severam ejus justitiam, se hodie mediam posuit, iram Dei esse placatam, Justitiam severam, esse mitigatam. Ita concludit S. Antonius Part. 4. Tit. 15. Cap. 22. *Sol justitia Deus noster, in Veteri Lege erat leo rugiens, peccatores severe puniens, in uterum Virginis ingressus, factus est Deus, totus suavis, & clemens.*

CONCEPTUS V.

Provida mater Rebecca, ut filio suo Jacobo, patrem Isaac clementem redderet, & ad benedicendum ei commoveret, audite, quem astum excogitaverit. *Vestibus Esau induit eum*, Genes. 27. Sic indutum coram patre sistit, qui Jacob addictissimus effectus, liberalissimè benedicit. *Det tibi Deus de rore caeli, & de pinguedine terrae abundantiam frumenti, vini, & olei, & serviant tibi populi, & adorent te Tribus:* Maria filium Dei, vestibus humanitatis, carne & sanguine vestivit, & induit; *Et verbum caro factum est*, Joan. 1. *non aliunde, quam de semine & lacte virginis*, inquit S. Leo Papa. Serm. de Nativ. Domini. Sic humanâ carne vestitum fratrem nostrum, verum Dei filium, hodie patri aeterno, in templo sistit, & praesentat, in quo aded sibi pater aeternus complacuit: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*, Exinde toti humano generi largissimè benedixit. Sic eleganter perorat S. Bernardus Serm. 26. in Cant. *Non sic Rebecca Jacob induit, sed Maria tanto digniorem, qui benedictionem acciperet, quanto sanctior,*

que peperit, & bene in meo habitu, quia mihi benedictio venditur.

CONCEPTUS VI.

Num. 28. præcipit Deus Moyfi, ad se propitiandum, reconciliandum, agnum offerant Judæi. *Hæc sunt sacrificia, quæ offerre debetis, agnos anniculos immaculatos.* Joannes Jesum agnum compellat, dicens. *Ecce agnus Dei, Ecce, qui tollit peccata mundi.* Joar. cap. 1. Hunc agnum immaculatum offert provida Virgo Maria & patrem reconciliat, reddit propitium generi humano. Est hic Conceptus Paulini Cluniacensis. Serm. 1. in Die Purificationis. *Hæc enim, quæ totius mundi reparationem obtinuit, salutem omnium impetravit.*

CONCEPTUS VII.

Nimium iratus erat Esau, & armatus occurrit Jacob, ut se videret. Genes. 22. Iram omnem Esau compescuit pulchra Rachel & amicum effecit. *Et suspiciens amplexatus est eum, procumbens que super collum ejus, & osculans flevit, & ait: gradiamur sibi & ero socius itineris vestri.* Genes. 33. Similiter offensus Nabal David, illatam injuriam pergit ulcisci: Prudens Abigail offendit Davidem reconciliat, & lenit. *Qui dixit ad Abigail: vade pacifice in domum tuam, ecce audivi vocem tuam, & honoravi faciem tuam.* Avertis scire, quâ dexteritate iratum Esau placaverit Rachel, & amicum effecit; Abigail David offensum reconciliavit. Dicam dexteritatem: Rachel filiolum habuit Josephum, hoc filio suo pulchra Rachel obviat irato Esau, se & filium in periculo sistit, & offert. *Posuit Rachel & Joseph novissimos.* Intuens pretiosum offertorium, matrem pulchram Rachel, & filium nerrimum Joseph; Ecce, viscera commoventur Esau, immutatur integro, ex hoste fit amicus sincerissimus. *Amplexatus est Jacob & Abigail panes recentissimos sumit, & Davidi dedicat.* *Festinat igitur Abigail, & tulit panes ducentos, quos suscepit David de manu ejus, & placatus dixit illi: Vade pacifice.* Non minus DEUS iratus

iratus & indignatus fuit humano generi, quàm Esau fratri Jacob, quàm David Nabali, pulchra Rachel Maria, hodie novissimè, cum Filio suo Jesu, oculis irati Dei se præsentat. *Tulerunt eum in Jerusalem, ut sisterent Domino.* Prudens Abigail Maria, augusto pane Angelorum, Christo Jesulo, obviat irato Deo, & hoc delicato Filio- lo placavit iratum Patrem, hoc gratissimo munusculo, mitigavit offensum Dominum. *In terrâ pax hominibus.* Luc. 2. Audiamus Bernardum ferm. 3. in Purificatione B. V. Mariæ, stimulantem B. Virginem, *Offer Filium tuum, Virgo sacratissima, & benedictum Fructum Ventris tui, Domino representa, offer ad nostrum omnium reconciliationem, hostiam sanctam, Deo placentem.*

CONCEPTUS VIII.

Lucas 19. memorat: Nobilem illum, in regiones abeuntem, servis suis talenta concredidisse, ut iisdem lucrum facerent, reversus nobilis, eos, qui utiliter negotiati sunt, largiter præmiavit, eum autem, qui talentum concreditum, in sudario involvit, abscondit, & abusus est, multum succensus, abjecit, & condemnavit. Hic servus inutilis, piger & prodigus est humanum genus, qui talento, Dei gratiâ, nimium abusus est; unde graviter humano generi iratus Deus, ad pœnas temporales & æternas condemnavit: Ecce hodie Virgo, talentum, quàm optimè elocatum, Jesum, thesaurum indeficientem, cum usurâ in quadruplo, Patri æterno defert, restituit, reponit, sicque humani generis abusum, pigritiam, commissam offensam, refarcit, gratiam impetrat, obtinet, salutem omni homini negotiata est.

CONCEPTUS IX.

Festum hoc Purificationis, festum Luminum dicitur; & videns Simeon venerabilis senex Mariam Jesulum in ulnis deportantem exclamat. *Lumen ad revelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israël.* Cur, quæso, festum Luminum dicitur? quo motivo Simeon lumen ad revelationem gentium prædicat? Explico me Parabola Luca 15. cap. Mulier erat, quæ drachmam perdiderat, quid agit bona œconomia, ut drachmam perditam inveniat? accendit lucernam,

nam, diligentissimè lumine accensò, omnes perlustrat domus angulos, & felix drachmam deperditam iterum invenit. *Congratulor tibi, quia inveni drachmam meam, quam perdidisti.* Quæ est illa drachma? quam mulier perdidit, & quæ est mulier, quæ lumen accendit, & invenit? Drachma est primus homo, hunc mulier Eva perdidit, & cum eo totum humanum genus. Sic eleganter commentatur S. Chrysostomus in Lucam: *Redde virum mulier, quem in paradiso perdidisti, redde depositum Dei, redde ex te, quod perdidisti pro te.* Maria est illa felix mulier, quæ lumen accendit, Christum Jesum peperit, hodie, hoc lumine mediante, drachmam, hominem perditum, gratiæ restituendo iterum invenit. Audiatur Alcuinus: *O Virgo, lampas lucidissima, quantos latificasti, quando splendor gloria Dei illustrata, tot suspiriis, ac votis, desideratum illud nomen (quo inventa est drachma decima) sedentibus in tenebris, & umbrâ mortis protulisti.* Concludo cum Joanne Rusbochio, de conatu spirituali nuptiarum cap. 77. *Intemerata Dei Genitrix Maria, quam nos vitalem dicimus paradysum, gratiam, quam Adam perdidit, etiam cumlatiorem multò Maria invenit.*

Epilogus.

Reus naturaliter amat & honorat patronum & advocatum, quæ à supplicio exemit; infirmus amat medicum, qui curavit; miser amicum, & honorat, qui opem tulit. Audivimus B. V. Mariam nos reos suppliciiis exemisse æternis, nobis Deum reconciliasse; B. V. Mariam infirmos nos, sanitati restituit, & vitæ æternæ B. V. Maria, miseris nobis opem tulit, gratiam deperditam adinvenit. Ergo hanc amemus totâ vitâ nostrâ, hanc honoremus, verbo & opere, & submissè invocemus, ut in specie, quisque nostrum, purus à peccatis ante Dei tribunal inveniatur, lumen gratiæ in cœlis luceat & splendeat, in æternum.



IN FESTO PURIFICATIONIS
B. V. M.

CONCIO SECUNDA.

Accipiens JESUM in ulnas suas. Lucae. 2. cap.
Maria clemens & misericors est erga homi-
nes.

Textus.

Thema.

Exordium.

Simeon accepit Jesum in ulnas suas: à quo accepit? à pu-
rissimâ Virgine Mariâ. Discamus hinc: Maria clemens
Virgo, misericors mater est, erga omnem hominem:
Ego Mater pulchra dilectionis, & timoris, & agnitionis, Patres:
& sancte sper. Ecclesiast. 34. Testimonia Patrum audia-
mus: Verè Domina Regina es misericordie, quia non est in hac vitâ
sic desperatus, sic miser, cui non impetres misericordiam salutare. S. Bonaven-
S. Bonaventura in stimulo Amoris, part. 3. cap. 19. Quis miseri-
cordia tue, ô Benedicta, longitudinem & latitudinem, sublimitatem
& profundum queat investigare? nam longitudo ejus, usque in diem
novissimum, invocantibus eam adveniet universis: Latitudo ejus
replet orbem terrarum, ut tuâ quoque misericordiâ plena sit omnis
terra: sic & sublimitas ejus, civitatis supernâ invenit restauratio-
nem, & profundum ejus, sedentibus in tenebris, & in umbrâ mor-
tis obtinuit redemptionem: per te enim cælum repletum, infernus
evacuatus est, instauratae ruina cælestis Jerusalem, expectantibus
miseris vita perdita data: sic potentissima & piissima charitas, &
affectu compatiendi, & subveniendi abundat effectu. S. Bernardus
ferm. 4. de Assumpt. B. M. V. Omnibus omnia facta est, sapientibus
& insipientibus copiosissimâ charitate debitricem se fecit, omnibus
misericordia sinum aperuit, ut de plenitudine ejus accipiant uni-
versi, captivus redemptionem, aeger curationem, tristis consolatio-
nem, peccator veniam, justus gratiam, Angelus lætitiâ, denique
tota Trinitas gloriam. Seno. ferm. super signum magnum. Desuper
S. Spiritus invocata gratiâ Conceptus dabo.

CON-

CONCEPTUS I.

Legatus Gabriel Archangelus inquit ad B. V. Mariam: *Inveni-
sti gratiam.* Luc. 1. *Qui quarit, invenit.* Joan. cap. 2. scriptum
deus. Cùm ergo B. V. Maria gratiam invenerit, gratiam quæsi-
debit; ast pro se ipsamet quære gratiam necesse non habuit, quæ
absq; hoc jam erat gratiâ plena, quæsiuit ergo pro alio nempe pro
homine, qui gratiam Dei, per transgressionem in paradiso perdidit
ita intemerata genitrix Maria. Rusbochius ut supra. S. Bernardus con-
siderat, & Archangelum prædixisse. Luc. 1. *Spiritus S. supervenit
te.* Antea dixit Mariam jam esse gratiâ plenam, Quid ergo dator
tiarum Spiritus S. super jam gratiâ plenam Mariam veniens actus
est? Melliflue respondet S. Bernardus serm. 2. in Assumpt. B. M. V.
*Ad quid superimpleat eam, nisi ut adveniente jam spiritu, plena
eodem superveniente, nobis quoque superplena, & superfluenta
ipsa nempe mediatrix nostra, ipsa est, per quam suscipimus misericordiam
tuam, Deus, ipsa, per quam & nos, Dominum Jesum
domos nostras excipimus.* Eccles. cap. 24. *ipsa Virgo Maria affirmat
In me spes omnis vita, ac virtutis, qui me invenerit, inveniet
tam, & hauriet salutem à Domino.*

CONCEPTUS II.

Sponsus in Canticis extollit collum B. V. Mariæ; *Collum tuum
sicut turris David; At ille clipei pendunt ex eâ: omnis armatus
fortium.* Cant. 4. Cur collum Mariæ adeo extollit dilectus? Collum
omnia bona præstat corpori, communicat alimenta, respiratio
connectit caput cum cæteris membris ejus; sic Maria misericordis
diæ & clementiæ Mater, connectit Christum, caput omnium
lium, cum Ecclesiâ, & fidelibus. Audiatur Gerson. tract. 9. in
Magnificat. *Tu Collum firmissimum Ecclesiæ, tu sustentas, tu vitæ
haustus prima suscipis, & resfluis, tu suspiras, & respiras, in
sicut Corpus universum.* Conformiter loquitur Albertus Magnus
2. de Assumpt. B. M. V. *Collum intelligitur B. Virgo, per ipsam enim
quasi excellentissimam, totum Corpus Ecclesiæ unitur capiti Christi.*

Hæc est, sicut turris David, id est, manu fortis, quia fideles in eâ forte refugium inveniunt, edificata est cum propugnaculis, id est, adiutorium habet, à Patre, & Filio, & Spiritu S. mille etiam clypei, id est, omnium Angelorum Præsidium, pendent ex eâ, omnis etiam armatura fortium, quia omnes electi, eum, quem ipsa adjuvare voluerit, adjuvabunt. Sic Augustinus lib. 20. de Civit. Dei cap. 7. per mille clypeos intelligit innumerabiles modos, & media, nos juvandi, nobis prodesse.

CONCEPTUS III.

Ecclesiasticus cap. 24. B. V. Mariam variis arboribus comparat. *Quasi Cedrus exaltata in Libano, quasi Cypressus in monte Sion, quasi Palma in Cades, quasi Oliva in Campis.* Cur his arboribus comparatur? de Cedro scribit Albertus Magnus in Bibl. Mari. lib. Ecclesiast. num. 6. Cedrus serpentes fugat, & omne venenatum depellit: Sic B. V. clemens, omnes diaboli astus, à nobis avertit, ne noceant æternum. Cypressus non cedit oneribus: Sic Virgo clementissima nulli parcat labori, & oneri ad nos supportandos. In palma hoc advertitur, quod folia habeat, in modum manus hominis, & hæc non sursum, sed deorsum, terram versus extendat, quasi mille manibus adiutorium latura, & fructus donatura: Palma Maria, quæ mille & mille modis opem fert, semper manus ad nos extendit deorsum, fructum suavissimum Jesulum suum cum gratiarum copiis donare cupiens. Oliva oleum fert, signum misericordiae: Oliva mater clementiæ Maria, mater misericordiae, signanter dicitur Oliva in Campis, non in hortis, qui clausi sunt, ad quos non omni aditus patet, sed Oliva in campis apertis, aditum ad fecundam matris clementiam, omnibus patere, fores misericordiae, nulli clausas esse. In praxi rem videamus.

CONCEPTUS IV.

Zachariæ nunciat, Angelus: *Elisabeth pariet tibi filium.* Lucæ 1. etiam B. Virgini Angelus nuntiat, quia pariet Filium. *Paries Filium.* Lucæ 1. non addit *tibi*. paries tibi Filium, *tibi* omittit, solum nuntiat. *Paries Filium.* Cur Angelus non addit *tibi*? An fors Jesus non

Y

non

non est Mariæ Filius? fructus, caro, & sanguis? est Jesus verissimus Mariæ Filius, non aliunde, quàm de semine, lacte, & sanguine Virginis natus: Cur ergo Angelus non addit: *Paries tibi Filium*, & omittit? ad indicandam clementiam, & misericordiam B. V. Mariæ, quæ ad eò clemens & misericors est, erga nos homines, ut hoc quod plenè suum erat, & quod sibi charissimum, pretiosissimum erat, nempe Jesum Filium suum, cordis sui delicias, adhuc non natum, adhuc in ventre suo clausum, nobis cesserit, dederit, dederit.

CONCEPTUS V.

Narrat S. Lucas super hodiernam festivitatem, quòd purissimam Virgo Jesum ad templum in Jerusalem deportaverit. *Postquam impleti sunt dies purgationis Mariæ, secundum Legem Moysi, tulit eum illum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino.* Lucæ cap. 2. optimum factum est, quòd in Jerusalem in templum deportatur Jesus, non enim conveniens est domus, & mansio Majestatis ejus; non tabernaculum, sed civitas, & in eâ magnificentissimum templum, convenit unigenito Dei Filio. Hinc mirum, quòd Maria Jesum in civitate Jerusalem, in templo, non reliquerit, sed iterum secum, in Bethlehemi, in stabulum deportaverit. Cur è Jerusalem, è templo in Bethlehem reportat, in stabulo denuò reclinat? Cur è Jerusalem è templo deportavit? Respondeo: Jerusalem Metropolis, sedes iudicii sanguinis erat: in templo Salomonis, noscimus ex lib. 2. Paralipomenon. cap. 7. Deum severissimum se exhibuisse: *Ignis descendit de caelo, & devoravit holocausta, & victimas, & Majestatem suam implevit domum.* 2. Paralip. 7. è templo Salomonis, Hagel de funiculis, vendentes, & ementes Deus expulit, iratum severissimum iudicem, se demonstravit: è Jerusalem, à loco iudicii sanguinis, è templo, in quo se Deus severissimum iudicem exhibuit, Maria Jesum suum abstulit, nolens, ullum mortalium, Filium suum, iratum severum iudicem, vindicantem, & plectentem experiri: reportavit ergo in Bethlehem, & reclinavit iterum in stabulo. Cur in Bethlehem? cur in stabulum? Explico me factò, quòd de S. Apostolo Paulò, Acta Apostolorum cap. 15. narrant: Paulo datur optio, à Paulo Præsidente, pro sententiâ audiendâ, eligeret sibi Jerusalem, aut Bethlehem.

nam, Paulus postponit Jerusalem, eligit Romam. Cur Romam? Respondeo: *Roma* legatur retrò & sonat *Amor*; Romam eligit, locum amoris, sciens, ubi amor, ibi clementia est, in Bethlehem ergo, in locum amoris, Virgo Maria Jesum reponat, volens, ut omnis homo, Jesum suavem, clementem, mitem, benignum, misericordem, Patrem experiatur; in stabulum reponit, ut omni homini, etiam vilissimo, peccatori maximo, qui ut brutum vixit, ad Jesum, ad gratiam divinam, liberrimus, latè patens introitus, & accessus sit.

CONCEPTUS VI.

Ab illâ horâ, quâ Jesum suum, Mater clementissima inter Doctores, reperit Luc. 2. illum amplius à se non dimisit: Catholica Mater Ecclesia, etiam effigies B. Virginis, Jesum in brachiis suis tenentem, honorandas nobis depingit, & proponit. Quid mysterii subest, quòd tam arctè in brachiis suis Virgo Maria Jesum constringat, retineat? explico me iterum factò illo, quod legitur Exodi cap. 3. Viderat Moyses ignem in rubo, qui ignis ardebat, lucebat quidem, ast ne minimum quid comburebat. Notate hoc, jam capite Mysterium: Ecclesia Mater, in officio Immaculatæ Conceptionis, B. Virginem Mariam rubum intitulat: Jesum Filium Mariæ ignem compellat Lucas: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi ut accendatur.* Luc. 12. Ignem Jesum, rubus Maria, tam arctè stringit, tenet brachiis; illuminet, illustret homines, ad gratiam, non verò ardeat, comburat ad pœnam.

O clemens Virgo, Mater misericordiæ, te invoco, te rogo, ut mihi tradas Jesum in ulnas meas, qui me illuminet, in hac vitâ, ut in timore, & tremore operer salutem æternam. Amen. *Epilogus.*



Y 2

IN



IN FESTO PURIFICATIONIS B. M. V.

CONCIO TERTIA.

Textus. *Nunc dimittis servum tuum in pace. Lucae. 2.*

Thema. *Consolatè, ac piè morietur, cui B: V. Maria adstat.*

Exordium.



Abulantur Poetae, Argiam, Matrem Cleobis & Bitonis, ob filialem pietatem, eò quòd matrem impotentem, jumentorum instar, curru vexerint, levem precatam esse, ut prœmii loco, quòd filis tam piæ in parentem, utilissimum foret, clementior elargiretur. Illà nocte, optimè de matre meriti filii, placidè morte expirârunt: Indicium, pacatam mortem, maximum Deorum donum esse. Sacer Textus confirmat: *Beati, qui in Domino moriuntur.* Apocal. 14. & Psalmista canit Psal. 126. *Cum dederis dilectis suis somnum, ecce hereditas Domini.* Placidè verò, & piè morientur, quasi dulcem somnum dormient, quibus in agone adstat sacratissima Virgo Maria. Ita Bernardus serm. 26. in Cant. *Mors jam non est stimulus, sed júbilus, jam cantando moritur homo et moriendo cantat.* Testes adduco, D. Antonium de Padua, D. Nicolaum Tolentinum, quibus morientibus, B. V. Maria cum Jesulo adfuit. Consolatè Bernardus serm. 1. de Nativit. *Hæc peccatorum scela, hæc mea maxima fiducia est, hæc tota fiducia spei meæ.* & S. Augustinus. serm. 18. de sanctis. *Maria, tu es spes unica peccatorum, per te speramus veniam delictorum, & in te beatissimâ, nostrorum est expectatio premiorum.* In Agone assistenti Virgini, sublevo symbolum: *Hæc duce felix egressus.* Divinâ ope imploratâ Con-

Patres.

S. Bernardus.

S. Augustinus.

CONCEPTUS I.

Barac Judicum Cap. 4. promittit sibi victoriam contra Sisaram, si Deborah Prophetissam secum, sibi presentem, adstantem habuerit. Prophetissa est Maria, Sisara, exclusio gaudii interpretatur, & benè Diabolum signat, qui à gaudio cœlesti exclusus, etiam alios excludere festinat: Benedicta V. Maria virtutem Sathanæ extinxit. *Confirmatio seu Deductio*
Quod Maria prophetissa fuerit, proximè accersit Isaias, per prænotionē Spiritus, & nemo contradixerit. Ita S. Basilius in Cap. 8. Isaiæ Prophetæ. Sisara demor: est, inimicus generis humani, qui in ultimo mortis agone moriturum quàm maximè infestat, & oppugnat, qui fidelis Christianus, in agone mortis, prophetissam Mariam virginem, sibi assistentem presentem habuerit, victoriam de Sisarâ demone reportabit. Audiatur Bonaventura, in speculo B. V. lect. 15. q. 2. part. 1. Si Maria pro nobis, quis contra nos? & si ipsa est, quæ justificat, quis est, qui condemnet? Mellifluè perorat S. Bernardus super missus est. Ipsam sequens, non devias, ipsam rogans, non desperas, ipsam cogitans, non erras, ipsâ tenente, non corruis, ipsâ protegente, non metuis, ipsâ duce, non fatigaris, ipsâ propitiâ pervenis.

CONCEPTUS II.

Filii Israël securè per desertum Sinai transiverunt, & feliciter in terram electam introierunt, duce columnâ nubis de die, columnâ ignis in nocte. Exodi 14. cap. Maria est columna nubis & ignis. Ita S. Bonaventura, in speculo B. V. lect. 3. *Maria est illuminatrix, per beneficia lucidissima misericordiae, sive, per quam multi, in nocte hujus sæculi, illuminati sunt spiritualiter, sicut quandoque Filii Israël, per columnam ignis, illuminati fuerunt corporaliter. Maria est nobis columna nubis, quia tamquàm nubes protegit ab aestu divinae indignationis, protegit etiam ab aestu diabolicae tentationis. O columna vivifica, non, quæ extorrem, carnalem Israellem illuminat, sed quæ spiritualem illum, seu accenso, ex speculâ igne, divinitus præluces,*
 Y 3 *ad*

ad scientiæ veritatem deducat. *Onubes tota lucida, non, quæ in
probum, ingratumque Judaicum Populum obumbres, sed quæ
illi populo, genzi illi sancta, maternis tuis prælatis facibus illuc.*
Andreas Cretensis serm. 2. de dormit. B.V. cui adest in mortis
culo, cui præluet B.V. Maria, felviter transiens desertum
mundi, in patriam electam æternæ gloriæ introibit.

CONCEPTUS III.

Balaam prophetizat Filiis Israël, quia Deum videbunt. *Vidit
eum, Num. 24. unde desumit, ac colligit Balaam, filios Israël sim-
lices, Deum visuros, dicit citato Cap. Orietur stella ex Jacob
virga ex Israël. Stella ex Jacob, est sacratissima virgo Maria, cui
oritur in agone, in mortis articulo, Deum videbit, salvabitur
stellam, navigantes diriguntur ad portum, ita Christiani diriguntur
per Mariam ad gloriam. S. Thomas opusc. 8. Virga ex Israël, est
V. Maria, hanc qui præsentem habet moriens, suaviter exprimit
Testis David, qui Psal. 21. consolatissimè canit. *Si ambulaverim
medio umbra mortis, non timebo mala. Causam addit: Virga
& baculus tuus, ipsa me consolata sunt.* Desuper Petrus Damianus
In Virgine virgâ, miseri spes ejus, & consolatio. Hinc S. Antonius
part. 4. Tit. 15. Cap. 24. s. 4. B.V. Mariam, virgam Joseph nominat
jus fastigium adoravit Jacob moriens: hanc virgam, moriens
sentem, si quis habuerit, honoraverit, invocaverit, feliciter mori-
tur. Confirmat citatus *S. Mariam revereatur moriens, ut
tueatur, Maria est virga, de quâ Isaias cecinit: Pavebit Assur
Diabolus, virgâ percussus, suffragii scilicet virginalis; Maria
virga Regis Assueri, qui interpretatur, beatitudo, quâ extensus
per illum, ingrediebatur ad eum, salvus erat, & qui non tangens
ab eâ, occidendus ejiciebatur. Accedentes enim ad Deum, per
tionem in morte, tot sunt demerita nostra, quot, nisi intercedant
preces virginis, reprobantur, ut præsumptuose, Orationes nostræ
Rei mortis judicamur, nisi ipsa subveniat. Mandavit quoque
minus JEsus discipulis suis portare virgam, scilicet spem salutis
virginis gloriosa. ita perorat Thomas citatus.**

CONCEPTUS IV.

Narrat Joannes Gritschius Serm. 16. Davidem Salomoni filio suo proposuisse solvenda hæc ænigmata, quid in hâc vitâ, homini optimum, ac utilissimum sit? Quod nutrimentum mortali convenientius, & ad nutriendum conducibilius sit? Quis locus sit omnium securissimus? Ingenioso patri, filius acutissimè respondit: nihil melius & utilius homini, bonâ conscientia. Nullum cibum convenientiorem lacte. Locum non esse securiorem sinu materno. Mater nostra, est sacratissima virgo Maria. Audiamus Guilielmum, apud Martinum Delrio in Cap. 4. Cant. Sect. 1. *In uno Salvatore omnium Jesu, plurimos Maria peperit ad salutem, parcendo vitam, multos peperit ad vitam: eo ipso, quod Mater est Capitis, multorum membrorum Mater est, Mater Christi, Mater est membrorum Christi.* Sinus hujus Matris, tutissimus morientium locus est: in præsentia assistentiâ, protectione, Matris Mariæ mori, est beatè emori, est mori ad vitam. Exemplum habemus.

CONCEPTUS V.

Mulieris apud Sunas dilectus filius mortuus est, 4. Reg. 4. quamprimùm Elisæus certior hujus factus, mittit servum suum Giezi, puerum resuscitet, tandem & ipsemet vadit, omnem laborem adhibet, donec defunctum resuscitaverit. Cur Elisæus ipsemet descendit, & quid movit eum ad puerum suscitandum? Elisæus, Auditores, figura Christi est, Elisæus enim significat *Deus salvans*, & quis Deus salvans, quàm Christus Salvator noster? Mulier Sunamitis, figura B. V. Mariæ; si enim illa construxit cœnaculum, si victum præbuit Elisæo: B. Virgo corpus suum in cubile, lac virginum, in cibum & alimoniam, Christo Jesu Salvatori præbuit. Jam narrat Scriptura, quòd Filius in sinu Matris suæ mortuus sit. *Puer ait Patri suo; caput meum doleo, caput meum doleo! at ille dixit puero: tolle, & duc eum ad Matrem suam, qui cum tulisset, & duxisset eum ad Matrem suam, posuit eum illa super gœna sua, usque ad meridiem, & mortuus est.* Quia in sinu Matris, filius mortuus est, hinc Elisæus tantum properat, nec intermittit, usque dum puerum vitâ

vitâ

vitā donaverit. Figura, qui Christianus in sinu, in protectione, in patrocinio B. V. Mariæ moritur, eum Deus salvans, Christus Jesus, iudicii die, ad vitam æternam resuscitabit: etenim Deus salvans, preces hujus Matris, sollicitè aget, ut mors ista, non sit aliud, quæ janua, & ingressus ad veram, felicemque vitam: quomodo enim Deus salutis meæ, deseret eum, in mortis ergastulo, qui obit in Matris patrocinio, nam patrocinium Virginis, sinum Matris introgo, velut enim sinus parentis, ab infante propulsat adversa, atque pericula, protegit, & calefacit, frigescentis artus, & alia amoris grana prodit; ita planè Marianum suffragium, clientes, in afflictis mortis tuetur, contra hostiles etiam & occultos asfaltus deflectionis frigus impietatis dispellit, ardorem virtutum reddit, & plurimam charitatis, ac veri solatii argumenta detegit.

CONCEPTUS VI.

Christus, dum Lazarum resuscitare voluisset ad vitam, Mariam vocat. Joann. 11. Ipse Salvator Christus Jesus, dum hora mortis advenisset, virgini Mariæ caput inclinat. Joann. 19. Cur quæ sollicitum ad vitam vocaturus, citat Mariam? cur ipse moriens, ad Mariam virginem se inclinat? Ad primam quæstionem fit responsum: Lazarum ad vitam resuscitaturus, vocat Mariam, in documento morienti, agonizanti, cui adstat B. V. Maria, is à Christo ad vitam resuscitabitur æternam: Ad secundam quæstionem respondetur: inclinat Christus moriens caput virgini, quod loqui amplius non potest, nutu indicans: Beatus morietur, qui præsentem sibi, ac assistentem habet Mariam. Eò collimant verba Hugonis Card. in Cap. 19. 19. *Inclinato capite tradidit spiritum, quasi diceret, per ipsam Mariam petite, ipsa est oraculum misericordie.*

Epilogus.

Invoke ergo Mariam, & rogate, cum S. Bonaventura, in die mortis meæ ad portum salutis, & spiritum meum redde factori suo. Gratia sus vultus tuus mihi appareat in extremis, formositas facies tua letificet spiritum meum egredientem. In exitu animæ meæ, de mundo, occurre illi Domina, & suscipe eam, consolare eam, in sancto tuo, aspectus demonis non conturbet, esto illi scala ad regnum calorum, & iter rectum ad paradysum Dei.

Amen,

IN FESTO S. MATTHIÆ
APOSTOLI.

CONCIO PRIMA.

Revelasti & parvulis. Matth. 16. cap.

Humiles spiritu, tangit bona fors.

Textus :

Thema.

Doctissimus Josephus Mansius in Promptuario sacro, super festum S. Matthæi disc. 3. asserit, quod nomen *Matthias* significat *Parvus*, glossa verò vult, *parvum*, lo-
nare *humilem spiritu*, adeoque *Matthias*, idem sit, ac
parvus, humilis spiritu. Testantur nunc Acta Aposto-
lorum cap. 1. super *Matthiam*, super *parvum*, humilem spiritu, ceci-
disse sortem, sortem ter optimam, dignitatis Apostolatûs. Au-
diatur S. Ambrosius, super Psal. 112. *Etenim, quia necesse habebat,*
perire filium perditionis, oportebat in locum ipsius subrogari filium
salutis. Super *Matthiam*, parvum, humilem spiritu, cecidit optima
fors, Dei gratiæ, singularis sanctitatis, & vitæ innocentia, de quâ
Dionysius Carthusianus serm. in lect. *Fuit vir, valde præcipua per-*
fectionis, approbatæque sanctitatis, tam coram Deo, quam coram ho-
minibus. Super *Matthiam*, parvum, humilem spiritu, cecidit fors
eximiæ doctrinæ, & intelligentiæ, teste S. Antonino, citato ab Hugo-
ne in cap. 11. Matth. *Matthias in lege Dei, fuit doctissimus, in sol-*
vendis questionibus Sacra Scriptura acutus, in Consilio providus, in
sermocinatione expeditus. Capiamus inde hoc documentum; par-
vulos, humiles spiritu, id est, qui suâ sponte, & voluntariè humiles
sunt, manet bona fors divinarum gratiarum. Probo Scripturæ

Exordium.

Textus Scri-
pturæ.

Textibus: *Glorietur autem frater, in exaltatione suâ, dives autem*
in humilitate suâ. Jacobi cap. 1. *Humiles spiritu salvabit.* canit Da-
vid,

vid, Psal. 33. *Humilem spiritu suscipiet gloria.* Prov. 29. *In sancto habitans & cum contrito & humili spiritu, ut vivificet spiritum humilium.* Isaïæ 57. *Super quem requiescam? inquit Deus, nisi super humilem.* Isaïæ 66. *Audiamus Patres. Altus est Deus, humilias se descendit ad te, humilia de proximo respicit, ut attollat, ut bono repleat.* S. Augustinus in Psalmos. *Bona humilitas, qua nihil appeto, totum, quod contemnit, adipiscitur.* S. Ambrosius lib. 7. *Lucam. Humilitati se facile inclinat divina Majestas, hæc est, exaltat, hæc est, qua ducit ad vitam.* S. Bernardus serm. 2. de assumptio & iterum serm. 4. in vigiliâ nativit. *Quid humilitate ditius? Quod pretiosius invenitur? quâ nimirum Regnum cælorum emitur, & divina gratia acquiritur.* S. Hieronymus Epist. ad Lactantium scribit. *Nil aquæ est, quod nos ita, & hominibus gratos, & Deo facit, quasi vita merito magni, humilitate infimi sumus.* Audiat proinde Thomas Kempensis, lib. 2. cap. 2. §. 2. *Humilem Deus proinde & liberat, humilem diligit, & solatur, humili homini se inclinat, humili largitur gratiam magnam, & post ejus depressionem, ad gloriam, humili sua secreta revelat, & ad se dulciter trahit, invitatur.* Eodem lib. 2. cap. 8. §. 3. hortatur: *Esto humilis, & tecum Jesus.* Materiam hanc, invocata Spiritus S. gratiâ, Conceptionibus stabiliam.

CONCEPTUS I.

Confirmatio
seu
Deductio.

Joannes cap. 4. narrat, Christum Dominum Salvatorem nostrum ad Mulierem Samaritanam dixisse; *Qui autem biberit ex aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons vite, salientis in vitam æternam.* Quid putatis, per hanc aquam vivam intelligi? Respondet Bernardinus Senensis, tom. 2. serm. 31. Art. 2. cap. 2. *Per talem aquam gratia gratumfaciens designatur, hoc est, donum Dei.* Ergo Christum gratiam divinam aquæ comparat: Cur aquæ? explico me: Aquæ fontes limpidos, experimur in terræ profundo scaturire, & colluere, torrentes & fluvios cernimus solum in humilibus vallibus grato murmure fluere, & permare: inclinatur se nunc viator in vacuum, quod magis se inclinat, quod vas magis vacuum adfertur, flumen & rivus, aquam copiosius & liberalius elargitur, & adfertur. Gratia Dei aquæ nunc comparatur, ad nos, instruendumque

sicut aqua in profundas valles, sic gratia Dei in humiles mentes & corda copiosissime sese diffundit; sicut fons & rivus liberalius aquas elargitur, quò vas magis vacuum & capacius quis attulerit, ita quò mens & cor hominis magis humile, ab exultatione sui magis vacuum fuerit, eò gratia Dei liberalius se ei infundit, elargitur. Sic Conceptum subscribit S. Bonaventura serm. 2. de uno Confessore. *Cum humilitas rectè Deo subjiciat, ad majus auxilium divinum mentes parat, unde Deus humilibus dat gratiam, & tantò majorem, quantò invenerit mentem humiliorem.* Perpulchrè scribit S. Laurentius Justinianus, de ligno vitæ cap. 3. *Sicut non patitur natura vacuum, quin illud repleat, sic nec gratia humilem, quin se illi infundat. Humiliare ergo, O homo, evacua cor tumore elationis, quia tantò perfunderis abundantiori gratiâ, quantò mundior fueris à sæce presumptionis.*

CONCEPTUS II.

Fatur dilectus, Cantic. 2. *Descendi in hortum meum, ut viderem poma convallium.* Ergo sibi dilectus specialiter in fructibus vallium complacet: Cur in fructibus vallium? Experimentiâ teste, convalles fertilissima locorum campestrium pascua, agros pingues exhibent; fructus convallium sunt ordinariò ditiores, pinguiore, abundantiores, quasi naturæ Dominus, liberalissimus, & profusissimus sit erga valles. Quid per valles spiritualiter intelligitur? dicit Climacus gradu 25. de scala Paradisi, Num. 8. *Vallis enim anima est, quæ inter montes laborum & virtutum semper depressa, humilis & immobilis manet.* Sicut nunc naturæ Dominus, liberalissimus, profusissimus est erga valles terræ, dona naturæ copiosius elargiendo: sic gratiæ Dominus, Deus inquam, liberalissimus, profusissimus est, erga humiles mentes, maximas gratias, & dona copiosissima communicando: Percipere libeat S. Gregorium, in cap. 6. Cantic. *Quid est, quòd non poma montis, sed poma convallis, ut videat, descendit, nisi quòd illis respectum suæ miserationis tribuit, quos in humilitate persistere cognoscit.*

CONCEPTUS III.

Postquam fratres Josephi, Benjaminum adduxissent, se eis
velat, & liberalissima dona profundit: *Imple saccos eorum frum-
to, quantum possunt capere.* Genes. 42. cap. Cur Joseph amoris
liberalis sit ad præsentiam Benjamin, percipite. Benjaminus mi-
mus erat. *Fratrem vestrum minimum ad me adducite.* Per hoc
fratrem minimum, inquit S. Antonius de Padua, de Apostolis Gen-
4. intelligitur humilitas. Hæc est Dei Benjaminus; parvum, hu-
ilem, abjectum, demissum, qui se Deo exhibuerit, ei se Jesus re-
lat, erga eum gratiis liberalis est; imò quanto humilior quis
rit, tanto ei Deus gratias confert ampliōres. Patet Matth. 5. cap.

CONCEPTUS IV.

Justissimus præmiorum elargitor enumerat Matth. 5.
qualiter bona opera sit certius remuneraturus. *Beati pauperes
Spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum: Beati mites,
quoniam ipsi possidebunt terram: Beati, qui lugent, quoniam con-
solentur; Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.
Beati misericordes, quoniam misericordiam consequentur.* Optime
S. Laurentius Justinianus lib. de humilitate cap. 8. Remunera-
tionem incipere à pauperibus spiritu; dein ubi aliis præmium in-
turo promittit, pauperibus spiritu, in præsentem præmium
elargitur; non enim dicit, horum erit, sed horum est præmium
cælorum: primos enumerat in præmio pauperes spiritu, non
in futurum, sed in præsentem, & actualiter remuneratur. *Humiles
est regnum cælorum.* Qui sunt illi pauperes spiritu? *Sunt
humiles, animo submissi,* inquit citatus Sanctus: Humiles spiritu
pauperes, primum locum obtinent, in gratiâ divina, hi
quos divina bonitas in præsentem remuneratur: Humiles enim
priusquam de corpore migrant, jam Deum possident, cælestibus
abundant.

CONCEPTUS V.

Genes. 18. cap. legimus, SS. Trinitatem dignissimâ presentia Abrahamum beasse, & revelasse, quod sit *futurus in gentem magnam, & benedicenda sint in ipso omnes gentes*. Locum, in quo Abrahamæ, hæc clementissima Apparitio, & promissio facta est, specificat facer Textus: *Apparuit autem ei Dominus, in Convalle Mambre*. Modum, quo se Abraham erga Deum exhibuit, pariter Scriptura recitat. *Loquar ad Dominum, cum sim pulvis & cinis*. Satis fuisset locus designatus, dicendo, apparuit ei Dominus in Mambre; cur additur: *in Convalle Mambre*? Cur convallis additur? Cur tam signanter Abrahamæ locutio notatur? *Loquar ad Dominum, cum sim pulvis & cinis*? Ad utrumque respondeo: Per convallē, glossa interlinearis humilitatem intelligit, in convalle Mambre habitavit Abraham, in humilitate constitutus tantum benedicitur & concludit: *Per hoc designatur, quod revelationes Divinae fiant illis, qui sunt in humilitatis convalle*. Signanter verba Abrahamæ allegantur, *Loquar ad Dominum, cum sim pulvis & cinis*, quæ profundam cordis humilitatem notant. Pulchrè desuper Alcuinus. interrogatione rog. in Genes. *Apertè enim intelligitur, in quo loco se posuerat, qui pulverem se, ac cinerem, etiam cum Deo loqueretur, estimabat, sublimitatem promissionum, humilitatis temperavit subiectione*. Hæc humilitate Abraham pater fidei nuncupatus est, qui cum Divino participaretur colloquio, *servum se esse dicebat, ac limum*. Concludit Ambrosius in Psal. 118. & omnes nos hortatur S. Isidorus lib. 2. cap. 5. *Quamvis summus sis, humilitatem tene, si humilitatem tenueris, habebis gloriam, quando enim humilior fueris, tanto te sequetur gloria altitudo.*

CONCEPTUS VI.

In Monte Tabor. Matth. 17. cap. clarificatus est Jesus: *Transfiguratus est ante eos, & resplenduit facies ejus sicut sol: Vox Patris intonuit: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*. Quid adeo dilectum fecit? Quid gratis cœlestibus Filium cumulavit? duo testes, ut patet Luca 5. cap. Moyses & Elias dicebant *excessum ejus*. Quis hic excessus? excessus profundissimæ humilitatis. Audiatur S. Paulus ad Philippenles cap. 2. *Exinanivit semetipsum, formam servæ accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inven-*

tus ut homo: Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem. Excessum profundissimæ humilitatis, eleganter describit S. Ambrosius in Psal. 118. *Omniū Dominus factus est minister, & auctorem omnium vapularvit, pedes lavit, crucifixus est, mortuus est, sed omnibus detrimentum nullum video divinitatis ejus, profectum operationis agnosco; qui nihil habebat, quod ad potestatem suam adderet, habuit, quod ad cultum suæ Majestatis adjungeret: Nil humilitas adfert dispendii: ille, qui se humiliavit, plenus est; ille non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, formam servituti accipiens, in gloriâ est Dei Patris. Si putas, quod Christo profuit humilitas sua, cui ergo non proderit? si illum exaltavit, quem non augetur*

CONCEPTUS VII.

Jesu in cruce pendenti, Pilatus affigit titulum regium: *Rex Hebræorum.* Vix emisit spiritum, ter mitis Jesus, & ipsum centurionem, & Filium deprædicat: *Verè Filius Dei erat iste.* Matth. 27. cap. *Quod* Argumentum habuit Pilatus, Christum Regio honorandi tituli? Quid convicit centurionem, ut Christum in cruce exanimem Deum? Quid Filium deprædicaret? Argumentum convincens erat, mors Christi humillima. Humilibus spiritu, se omni genere gratiarum, & precum grativarum effundit Deus.

Epilogus.

Hortatur nos æterna Sapiencia. Matth. 10. cap. *Estote prudentes sicut serpentes.* Prudentia serpentis in hoc consistit, ut in altum erigere, & in aëra proflire valeat, omnibus viribus se in terram deprimit, & quo magis se ad terram deprimit, tantò securus saltu in altum assurgit. Vis, o Christiane, in altum gratiarum divinarum assurgere, profundè deprime pectus cognitionis tuæ, voluntariè te in omnibus humilia, parvus fias cum Mattheo cap. 3. *Quantò major es, humilia te in omnibus, & coram Deo invenies gratiam.*





IN FESTO S. MATTHIÆ APOSTOLI.

CONCIO SECUNDA.

Jugum meum suave est, & onus meum leve. Matt. ^{Textus.}
16. cap.

Jugum suave, & onus leve, est servire Deo, ^{Thema.}
juxta vulgatum dicitur: *Servire Deo
regnare est.*



Erta merces & præmium, jugum suave, onus leve reddit; certa & bona merces salarii, mercenario labore diurnum facilem reddit, merces certæ promotionis, conflictum cum hoste, etiam periculosissimum, tamen jucundum facit: Merces copiosa messis, vel vindemiæ, agricolæ & vinitori, durissima quæque onera, & centum difficultates indulcorant; Æterna Veritas, tibi ferientibus, & quantam mercedem, & præmium promittit! *Venite ad me, omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* ^{Exordium.}
Matth. 16. cap. *Qui secuti estis me: centuplum accipietis, & vitam æternam possidebitis.* Matth. 19. cap. *Euge serve bone, quia in modico fuisti fidelis, eris potestatem habens supra decem civitates.* ^{Textus Sæcra Scriptura.}
Luc. 19. cap. *Jam non dicam vos servos, sed amicos.* Joann. 11. cap. *Præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis.* Lucæ 12. cap. Ergo servire Deo facile, jucundum, & suave est; servire Deo, epulari est; servire Deo, thesaurizare est; servire Deo, jucundari est; servire Deo, dominari est. ^{Patres.} *Audiamus Patres. Hæc servitus non obligat, sed absol-
vit;*

vit; non onerat, sed honorat; abstergit servitutis maculam, non incutit; impleta est Christi sententia, quã dixit: Qui vult esse Dominus, sit servus: Beata est hæc servitus, qua dominationem generat sempiternam. S. Joannes Chrysoſtomus hom. 22. in Matth. & iterum hom. 12. in epist. ad Philipp. *Magna revera est hæc dignitas, omniumque bonorum caput, servum esse Jesu Christi; quem eundem qui Christi verus servus est, nulli alteri servus est.* Et iterum in cap. 9. ad Hebræos. *Si enim ex unã parte servos Dei, et aliã verò totum mundum comparem, illos invenio virtutis pondere meliores.* Eleganter scribit S. Ambrosius de Paradiso. lib. 14. *Servitus Dei, donum est, inter benedictiones numeratur hujus servitutis obsequium.* Philo Hebræus lib. de Cherubim inquit: *Servire Deo, maxima gloriatio est, non modò libertate major, sed & vitiis & principatu, & omnibus rebus, quas mortales mirantur pretiosior.* S. Gregorii Papæ. in homil. effatum est: *Servire Deo dignare est.* Imploratã S. Spiritus gratiã, desuper Conceptus dabo.

CONCEPTUS I.

Confirmatio
seu Dedu-
ctio.

Fluvio Jordane, à Filiis Israel feliciter transito, & omni terra trans Jordanem expugnata, Josue duodecim tribubus terram illam distribuit, cuius tribui partem assignans, exceptã tribu Levi, *Tribui autem Levi non dedit possessionem.* Josue 13. & 14. cap. *acceperunt Levitæ, aliam in terrã partem, nisi urbes ad habitaculum, & suburbana earum, ad alenda jumenta, & pecora eorum.* Tribus Levi, sunt Levitæ, ministri Dei, & altaris, in Veteri Testamento: ita liquet ex lib. Numer. cap. 16. *Audite Filii Israel, numquid parùm vobis est, quòd separaverit vos Deus Israel, ab omni populo, & junxit sibi, ut serviretis ei, in cultu tabernaculi.* Et ex lib. Deuteronomii. cap. 10. *Separavi Tribum Levi, ut portaret Arcam Fœderis Domini, & staret coram eo in Minister Tribus Levi, & Levitæ, servi & ministri Domini, non acciperent partem in terrã distributione; Quid hoc? An Deus servorum suorum in distributione oblitus est? Servi & ministri non habeant partem, unde alantur, unde sustententur? Servi & ministri Dei, habeant certam hæreditatem, & portionem? Minime: antequam terram illam expugnassent Filii Israel, omnium primò ante omnes*

alias Tribus, jam recordatus est Deus Tribus Levi, optimâ portione & hæreditate servos donaverat, majora, meliora, pretiosiora præordinaverat. Audiatur Scriptura. *Quamobrem non habuit Levi partem, neque possessionem, cum fratribus suis, quoniam ipse Dominus possessio ejus est, sicut promisit ei Dominus Deus tuus.* Deuter. cap. 10. Et Josue cap. 13. *Sacrificia & victima Domini Dei Israel, ipsa est ejus hæditas, sicut locutus est illi.* Servos suos, & ministros, non vulgariter & obviè, sed extraordinariè, specialiter præmiat, nempè de aula suâ regiâ, & mensâ suâ magnificâ, de portione Sacrificiorum Deo sacrorum, eos perquàm honorificè prandere, cœnare, visitare statuit. In novo testamento statutum veteris legis, Christus clementissimè confirmat. Lucæ 12. cap. *Præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis.* Et cap. 22. *Vos autem estis, qui permanistis mecum, in tentationibus meis, & ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis & bibatis super mensam meam, in regno meo, & sedeat super thronos, judicantes duodecim tribus Israel.* Quàm verè dixit Gregorius: *Servire Deo, regnare est.*

CONCEPTUS II.

Narrat sacer Textus in libro Job. cap. 42. *Addidit Deus omnia, quæcumque fuerant Job duplicia.* Quis est Job: & cur rectè duplicia ei Deus addidit? Quis Jobus fuerit, ipsa æterna Veritas asserit libro Job. cap. 2. & 42. *Servum suum gratiosè intitulado, nominando: Considerasti servum meum Job.* cap. 2. *Ite ad servum meum Job.* Audiatur Tertullianus. *Non abacti greges, non ille in pecore divitiæ, non filii uno ruina impetu adempti, non ipse denique corporis in vulnere cruciatus, à patientiâ, fide Domino dedicatâ exclusit, quem diabolus rotis viribus frustra cecidit, nec enim à respectu Dei, rot doloribus advocatus ille est.* Servo igitur Job addidit Deus duplicia; non simplicia, sed duplicia: servis suis Deus, duplex apponit, dupliciter, temporaliter & æternum benè habet, qui Deo servit, Servire Deo, regnare est.

A a

CON-

CONCEPTUS III.

Ad Moysen inquit ter optimus Deus. *Constitui te Deum Pharaonis.* Exodi 3. cap. Moyses magnus Dei servus. Audiamus Basilium Seleuciensem. orat. 9. *Cum succrevisset infans, ad suos transiit, & Regia dignitatis spes excutiens, Abrahami cognationem affectavit, impiisque divitiis, piam paupertatem duxit potioris.* Moysen ergo Altissimus ideo Deum constituit, quia servire Deo puero anhelavit. Ita concludit S. Ambrosius. lib. 3. de par. cap. 1. *Etenim victor passionum omnium, nec ullis captus seculi illecebrarum, mentem regens, carnem subjiciens, & Regia quadam auctoritate castigans, Nomine Dei vocatus est.*

CONCEPTUS IV.

Servos Dei profitentur se Seniores illi, Apocal. cap. 5. *Figurati quatuor Seniores ceciderunt coram Agno, habentes singuli citharas & phialas aureas, plenas odoramentorum, quae sunt orationes sanctorum, & cantabant canticum novum.* Quid praemii pro merito agnus elargitus est eis? dicunt Seniores citato capite: *Et nos Deo nostro regnum. &c. & regnabimus super terram.* De his Rupertus: *Super terram, quia Dei servi, conditione in terra sunt, sed vita & conversatione super terram, & super terrena materia sua tenent Principatum.* Optime ingeniosus Academicus meritum vitutem Dei expressit, pingendo jugum ac loco lignorum, in pice jugi prominentium, duo scepra cancellata efformans: & subscriptione: *Serviando regnat.* Servire Deo, regnare est. Hec dicitur S. Ambrosius in cap. 17. Lucae: *Qui Rex esse vult, sit servus Domini, ea enim parte, qua participamus servitute, participamus & Regno, & non sumus tantum subservientes, sed & regnantes.*

CONCEPTUS V.

Quid sublimius maternitate Virginis? Audiatur Bernardus de Nativitate B. M. V. *Magnum est, Angelo ut Minister sit Dominus, Maria sublimius quidam meruit, ut sit Mater; fecunditas magis*

Virginis supereminens gloria est, tantoque excellentior Angelis facta, munere singulari, quanto differentius prae ministris nomen accepit. Nervosè loquitur Petrus Cellensis. lib. de panibus. cap. 21. *Si Cæli Reginam, si Angelorum Dominam, vel quodlibet aliud excellentissimum, tam ab humano corde, quam ore excogitatum protuleris, non assurgat ad hunc superinducibilem honorem, quo predicatur Dei genitrix.* Quando in tantam excellentiam, ac sublimitatem surrexit Maria? tunc, dum Lucæ 2. cap. *Ancillam Domini* se nominat, Mater Dei effecta est. Sic subscribente Arnaldo Carnotensi lib. de laudibus Mariæ. *Maria, Domina licet, se profitetur Ancillam, hoc servitutis genus, omni Regno sublimius esse intelligit.* Servire Deo ergo, regnare est.

CONCEPTUS VI.

Salomon Ecclesiast. cap. 6. quemvis erudit: *Audi fili, accipe consilium intellectus, & ne abjicias consilium meum, injice pedem tuum, in compedes illius, & in torques.* Mirabilis locutio, injice pedem tuum in compedes, & in torques. Compedes serviles sunt, sclavum, mancipium denotant: Torques Regem, & Principem honoratissimum signant: Quæ connexio servilibus compedibus, cum torque regio? An fors compedes servitutis Dei, Altissimus in torques aureos honorum, dignitatum, benedictionum, & affluentiarum transformat? sic asserente Philone Hebræo: *Servire Deo, maxima gloriatio est.* &c. ut supra in Exordio.

CONCEPTUS VII.

De servis suis, inquit Christus Joan. 17. cap. *claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis.* Desuper quærit D. Chrysostomus. Numquid erit æqualis claritas, Domini & Servorum? & verò erit. Probo, scenam illà illustri. Matth. 17. cap. ubi de clarificato, & transfigurato Domino, inquit S. Evangelista: *Resplenduit facies ejus, sicut sol.* Quid nunc asserit, de splendore servorum, Æterna Veritas? audiamus: *Fusti fulgebunt, sicut Sol, in regno Patris eorum.* Matth. 13. cap. O dignitas servitutis Dei! claritate Domini donantur, & servi; ergo servire Deo, regnare est.

CONCEPTUS VIII.

Lignum Crucis quàm honorificum est nunc omni credenti Paulus ad Galat. 6. inquit: *Absit mihi gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi.* Gloriam ligni Crucis, extollit S. Augustinus tract. 66. in Joan. *Nihil est nunc Cruce in fronte gloriosius.* Crucis lignum, quid tam gloriosum, honorificum fecit? fecit, quia Christus servavit, ad opus Redemptionis generis humani. Argumentum nunc eleganter Laurentius Justinianus. *Quid servat fideli suo, talem honorem dedit supplicio suo?* exinde nos hortatur.

Epilogus.

Hec quanta sint, cogitemus, hæc in statera cordis nostri apponamus, & totus nobis figatur in corde, qui totus nobis fixus fuit in cruce. Concludo eum S. Augustino. in Psal. 118. *Servus tuus ego, inquit David, & subnectit; salvum me fac: sumus & nos servi Dei, ut cum Prophetâ dicere possimus:*
Tui sumus, servas nos fac.





IN FESTO S. MATTHIÆ
APOSTOLI.

CONCIO TERTIA.

Cecidit fors super Matthiam. Act. 1. cap.

Textus.

In omni statu homo salvari potest, modo
statui, forti, conditioni, vocationi suæ
competenter vivat, exinde dependet om-
nis, tam temporalis, quam æterna feli-
citas. *Thema.*

Sanctus Evangelista Matthæus cap. 17. narrat, Christum *Exordium.*
Dominum nostrum, in montem Thabor, ad transfigu-
rationem & clarificationem suam, assumpisse Petrum,
Jacobum, Joannem, Moysen, & Eliam. Per hanc trans-
figurationem, prægustum æternæ felicitatis & salutis
denotari, nemo dubitat. Ad hanc, cur quæso Petrum, Jacobum,
Joannem, Moysen, & Eliam assumpsit? Motivum edocet Ludol-
phus Carthusianus inquit, per hos viros, ad intuendam Chri-
sti clarificationem, intelligi omnem in mundo excogitabilem sta-
tum, sortem, ac conditionem; nempe per Petrum & Jacobum,
Statum Ecclesiasticum & Sacerdotalem: per Joannem, statum vir-
ginitatis: per Eliam, statum claustralem, monasticum, & eremi-
ticum: per Moysen, statum matrimonii. Assumpsit ergo Christus
Dominus, ad transfigurationem suam, & claritatem cœlestem
intuendam, prægustum æternæ salutis fruendum, zelosissimos Ec-
clesiasticos, Episcopos, & Præpositos, Petrum & Jacobum: inte-
gerri-

A a 3

gerri-

gerrimam virginem Joannem : religiosissimum monachum & mitam, Eliam : curis matrimonii, & negotiis sæculi implicatum virum sæcularem Moysen : ostendens, in omni statu, ad mortificationis beatificæ, æternæ salutis, hominem pervenire posse scribente S. Chrystomo hom. 4. in Isaiam : *Volo igitur declinare vobis, quod neque nuptia, neque pueri, neque negotiatio, neque vitæ, neque inopia, neque aliud quidquam, à regno cælorum pediant.* Si ergo omni statui, forti, ac conditioni favet Deus, in vocatione suâ dignatur; hinc quisque suâ forte, statu, & conditione contentus vivat. Hortatur nos Sacra Scriptura : *Unusquisque proprium donum habet à Deo, alius sic, alius verò sic; unusque verò, sicut eum vocavit Deus, ita ambulet, & in eâ vocatione vocatus, in eâ permaneat.* S. Paulus 1. ad Corinth. cap. 7. iterùm : *Unusquisque in vocatione, in quâ vocatus est, in eâ permaneat, & sorte suâ contentus vivat.* 2. ad Corinth. cap. 7. Rom. cap. 12. inquit : *Non plus sapere, quàm oportet sapere, sapere ad sobrietatem, & sicut unicuique Deus divisit secundum mensuram fidei.* Lucas in Actorum cap. 10. scribit : *In vobis comperi, quia non est personarum acceptor Deus, sed in omni qui timet eum, & operatur justitiam, acceptus est ei.* Unde primum est Danielis cap. 10. *sta in gradu tuo, &* Eccles. cap. 3. *net: Altiora te, ne quaesieris.* Audiamus Patres : *In quo vocatione opere, firma anchoras, & funes.* Ephrem Syrus in 1. Epist. Pauli ad Corinth. *Maximè adnitendum est, ut unusquisque officia suam vocationis sue impletione, magnâ ex parte dependere salutem cordis nostri, conscientia pacem, profectum in spiritu, vitam nostram directionem, in virtute perseverantiam, & ipsam salutem saluationem.* perorat Anonymus : *Solitarii & Urbanitatis, & mercenarii, in singulis fieri potest, ut Deo placeamus, & possit leges, congruentes illi vitæ, quam unusquisque eligit.* Theodoretus, citatus à Glossâ : *Sicut scala, per quam ascenditur in cælestem, ex variis composita, & constructa est gradibus, ita fideles, re-*

Textus S.
Scriptura.

Patres:
S. Ephrem,

ptionis & meritorum Christi participes, per varios gradus vocatio-
num, professionum, & statuum, ascendunt in cælum. Apud
Lohnerum. Verbo Vocatio. Similitudine I. divino Dei auxilio, de-
super Conceptus deducam.

CONCEPTUS I.

De Salvatore nostro Jesu Christo, inquit Isaias cap.7. *Vocabitur* Confirmatio
seu
Deductio.
*nomen ejus Emmanuel, butyrum & mel comedet, ut sciat reprobare
malum, & eligere bonum.* Lucas etiam cap.2. memorat, duodennem
puerum Jesum, charissimos parentes invenisse, in medio Doëtorum,
audientes & interrogantes eos. Doëctissimus Nyffenus notat parti-
culam *ut* non denotare tempus futurum, quasi primùm sciat, discat,
sed verba tempus præsens indicant, jam scit, jam plenè instructus
est, reprobare malum, & eligere bonum: Si scit, cur ergo ut puer
parvulus, butyro enutrir, cur ut tyro & discipulus instrui, & do-
ceri voluit? ad primum membrum respondet Ramirez de Prado:
*Puer hic, quia nasciturus est, Deus est, quamvis ipse sit perfectus, nec in
Sapientia possit crescere, more puerorum educabitur, butyro scilicet
& melle, ut parvuli infantuli solent educari; Ut doceat, statui, con-
ditioni se quivis accommodet, & secundum statum suum se gerat:*
Puer natus, licet Deus fuerit perfectissimus, ut puer, ut parvulus
tractari voluit. Pari formã respondet, ad secundum membrum, ve-
nerabilis Beda in Cat. D. Tho. fol. 162. & S. Bonaventura, apud Jo-
annem Sylveiram. Tom. I. Lib. 2. Cap. 10. Quæst. 16. Num. 5. fol.
348. *Ad ostendendum, quod homo erat, homines magistros humiliter
audiebat; Sunt verba Bedæ. In hoc spiritualiter est intelligendū, quod
Christus docet nos, quod antea debeamus discere, quam docere. Sic Bo-
naventura: Ita ergo in gradu tuo, unusquisque in vocatione, in quã
vocatus est, in eã permaneat, & sorte suã contentus vivat.* Sorte
nimirum, quæ super quemque cecidit.

CONCEPTUS II.

Narrat S. Evangelista Lucas cap. 22. Christum in ultimã cenã,
sermonem ad discipulos habuisse: *Qui non habet, vendat tunicam,*

& emat gladium. Tunc extemplo discipuli: *Ecce duo gladii huius.* Dominus respondet. *Satis est.* Gladium ergo assumit Petrus, eos defendit in horto charum Magistrum suum. *Simon ergo habet gladium, eduxit eum, & percussit Pontificis servum, & abscidit nauculam ejus dexteram.* Joann. 18. cap. Putabitis, Petrum actum a nerofum, Deo placitum exercuisse, minimè: ut facinus deflatur Christus reprehendit. *Mitte gladium tuum in vaginam.* Quid hoc? An non gladium Christus comparare iussit? Nunquid, cum discipulos gladios presentant, eos approbat. *Satis est.* Cur ergo non Petro indignatur, Petrum reprehendit, cum gladio, è sincera intentione contra Christi inimicos utitur? Quid iudicatis, per duos gladios, quos Christus approbat, intelligi intelliguntur duæ potestates: prima sacerdotum, & spiritualis, altera regum, & illa sæcularis, ac reſtris: Reges ferro materiato dimicent, reos plectant, hostes pugnent. Sacerdotes gladio spirituali verbi Dei, peccatores cognent, sceleratos verbo Dei coërceant, ad meliorem frugem docent. Sic asserente S. Anselmo ex Comment. in Matth. cap. 26. *De ergo materialis gladius carnalibus, spiritualis autem, ministris spiritualibus.* Petrus nunc à Christo sacerdos creatus, gladium quisivit, sed spirituale, verbi Dei, & non materiale, iræ, violentiæ sanguinis: reprehenditur ergo Petrus à Christo, materiale gladium assumens, per quæ hoc instruitur, gradum, sortem, conditionem, vocationem observandam esse, sacerdotem placere Deo cionantem, displicere digladiantem; standum ergo cuique in proprio suo, in vocatione, quæ vocatus est, permanendum esse. Sic cludit Conceptum Anselmus: *Sicut non convenit regibus, quibus stolam pertinet, sic nec Episcopus, quæ regis sunt, exercere debet, quia Petrus quodammodo exercuit, à Domino increpari meruit.*

CONCEPTUS III.

Jacobus ex Mesopotamiâ redux, dum in Bethel venisset, obliſibus, liberis, ac re domesticâ se absentans, totâ nocte cum Angelis luctatur, aurorâ illucescente Angelus Jacob hortatur. *Dimittes jam enim ascendit aurora.* Genes. 32. cap. S. Thomas Aquinas enunciat, quæ fuerit hæc lucta, & quis luctans fuerit Angelus: Lucta dicit fuisse ferventes preces, & Orationem, cui totâ nocte Jacobus

stabat : Angelum luctantem, glossa dicit, fuisse Christum, verbum incarnatum. Si lucta Jacob, fervens oratio ad Deum fuit, Christus verò, verbum incarnatum, preces, orationes continuare præcipiat: *Petite, & accipietis: pulsate, & aperietur vobis.* Lucae 2. cap. hinc valdè mirandum est, quòd orationem & preces, Jacobum abrumperè, cessare, & finire hortetur. Quid causæ subest, quòd preces, & orationem Jacob cessare velit? Glossa interlinearis causam advertit: Jacob sæcularis, maritatus erat, uxores, liberos, copiosam familiam, turmas gregum numerabat: talem cessare, & finem imponere precibus jubet, & ad domesticas curas, labores, onera, sollicitudines reverti imperat; status, professio, fors, conditio, non erat monachus, quorum status exigit, noctibus psallendo, orando, meditando consumere, Jacob œconomus, Paterfamilias erat, quibus incumbit, consolari uxores, liberis, & famulatui, ac rebus domesticis prospicere, mensæ necessaria providere, labores quotidianos exercendos imperare, an hi ritè peracti sint, inspicere: jubendo, ut cesset Jacobus ab oratione, jubet stare in gradu suo, vocationi, quâ vocatus erat, convenienter vivere, œconomum, Patremfamilias, non magis chorum, quàm agrum excolere debere, quisque in vocatione suâ, quâ vocatus est, permaneat, vult Deus, exigit Deus, placet Deo. Videamus hoc ulterius.

CONCEPTUS IV.

Christo Salvatore nostro sepulto, summo mane, adhuc in tenebris, excurrunt mulieres ad sepulchrum, videre defunctum corpus Jesu. *Cum transisset Sabbathum, Maria Magdalena, & Maria Jacobi, & Salome emerunt aromata, ut venientes ungerent Jesum, & valdè mane, unâ Sabbathorum, veniunt ad monumentum.* Marci 16. cap. S. Paulus præscribit mulieribus, *domus, & domesticorum curam habeant*: in plateis & foro discurrere, minimè approbat; hæ mulieres, domo se absentant, extra procurant, Dominus Jesus tamen eas non increpat, minimè exprobat, imò approbat actum harum mulierum, sibi gratum, acceptum demonstrat. Quâ de causâ? Causa patet, ex citato cap. 16. Marci. *Cum transisset, &c.* Note: *Ut venientes ungerent Jesum.* Lavare, mundare, ungere, & inungere,

B b

gere,

gere, officium, munus, est statûs, & sortis fæminæ; non ergo im-
pat pias fæminas Christus, licet excurrentes, quia statûs, & fa-
sux munus egerunt: adeò placet Deo, statui suo vivere compe-
ter, convenienter. Bellè describit Conceptum istum S. Petrus Chry-
sologus ferm. 82. *Fæmina Christi obsequium suscipiunt, Apostoli pa-
nes: illa portant aromata, isti flagella, illa ad obsequium festinant,
isti ad carceres properant.* Hinc capio illam Christi parabolam
Matth. cap. 13.

CONCEPTUS V.

*Simile est regnum cælorum, quod acceptum homo, misit in her-
suum.* Et iterum: *Simile est regnum cælorum fermento, quod
ptum, mulier abscondit in farina sat a tria.* Lucæ 15. cap. 13.
Christus narrat parabolam, nempe: Quæ foris sunt oves, curam
quærere virum, ac Patrem familias. Mulierem & matrem fami-
quæ domi sunt, curare, & drachmam deperditam quærere. Quæ
doctrinæ per has parabolas Christus nobis præbere voluit? Respon-
det S. Petrus Chrysologus ferm. 99. *Res de usu geritur, vir in
granum sinapis ferit, domi mulier fermentum procurat, & in
preparat alimonia, quia virum foris expectat labor, intus
rem domestica cura constringit.* Docet ergo Christus, quam
sibi placeat statûs, sortis, conditionis observantia: ubi, ubi, ubi
officium, in quod Deus hominem posuit, accuratè observare
si vir agrum colat, mulier domestica negotia peragat, ibi casti-
tudinem aliquam esse, tales statûs sui observantes, jam con-
nedictionibus, in terris perfrui: nihil perdere, sed Dei adiutorio
ra indies invenire, & lucrari. Exemplar sit Domus Abrahamæ, &
Noë.

CONCEPTUS VI.

Genesis 18. cap. legitur, majestatem divinam dignatam fuisse
Abrahamum invisere, & apud eum divertere: O felix & benedi-
ctus domus, in quâ Deus divertit! quid movit Altissimum, apud Ab-
rahamum divertere? & suâ clementissimâ præsentia domum Abra-
hamæ?

beare, & benedicere? non fallar, si dixerò, ad tantas gratias, & favores Deum commotum esse, propter optimam domus ordinationem, & ordinatissimam rei domesticæ, statûs, ac fortis administrationem; Abraham providus Paterfamilias, & œconomus, foris ad armenta, ad greges, ad agros, ad campos agebat: Sara diligentissima œconoma, & materfamilias domi degebat, ac domus negotia tractabat, Audiamus Scripturam: *Ipse verò ad armentum cucurrit, & tulit vitulum tenerimum & optimum.* Sara, ut imperatum est: *Accelera, tria sat a simile commisce, & fac subcineritios panes.* Panes pinxit, & coxit. Statûs, fortis, & conditionis cujusvis accurata observatio, summè, placet Deo, facit Deum divertere suis gratiis & benedictionibus.

CONCEPTUS VII.

Quis non miretur, quòd Arca Noë, in tantis tempestatibus à naufragio præservata sit? omnis generis animalia, congregata in arcâ erant, ingens pondus, & moles; spumantes fluctus, nisu inde in arcam impegerunt, arca tamen suavissimè & securissimè deducebatur. Quis causalem dicet, arcam in tantis procellis illæsam conservatam esse? S. Gregorius Hom. 28. in Evangelia asserit, rectam & convenientem statûs observationem, arcam conservâsse: Verba Gregorii sic sonant. *Illam arcam, inferius bestias, superius verò aves, & homines habuisse.* Bestiæ, ut mole corporis graves, inferius in centro, quæ fors & status, omne grave concernit, habitabant: homines gubernatores arcæ, mediam contignationem, ut tam illa, quæ infimâ, quàm supremâ contignatione fiunt, ordinatè inspiciant, habitabant: in tertiâ, supremâ, & altissimâ contignatione, aves, à naturâ & conditione, alta appetentes morabantur. Pulcherrima statûs, fortis, & speciei cujusque observatio: & mediâ hâc elegante, statûs, fortis observatione, arca sine periculosâ concussione, quietè ac suaviter super undas, Deo rectore, Deo duce deferebatur. Sic, ubi in domo aliquâ, ac familiâ, est ordinata statûs observatio, quivis sorte suâ, munere suo, conditione, in quâ eum Deus posuit, contentus ac pacatus vivit, talis domus, familia feliciter conservatur, securè ad portum felicitatis deducitur.

Ergo quivis suâ sorte contentus sit, & felix erit, ac beatus.

Epilogus.

Bb 2

MAR-